



COLLOQVIVM ALTERVM ET VICESIMVM

*Persōnae: Dōrippa, Sanniō, Albīnus*

Sōla in cubiculō suō Dōrippa forem clausam aspicit, tum ad fenestram apertam accēdit, unde Tiberim flūmen spectat et pontem Fabricium, quī dūcit ad parvam īnsulam in mediō flūmine sitam.



pōns pontis *m*

Dōrippa sīc loquitur sēcum: “Quid iam hīc exspectō? Ab omnibus amīcīs relinquo. Quārē maneō in hāc urbe, ubi nēmō mihi est amīcus?” Tum oculōs terget atque ē cubiculō exit. Iānitor, cui nōmen est Sanniō, Dōrippam ēgredientem interrogat:

Sanniō -ōnis *m*

“Quō īs, Dōrippa?”

- 10 Dōrippa intrā līmen resistēns “Ad forum eō” inquit, “Nōlō sōla manēre in hāc domō. Sī Lepidus revenit, nōlī admittere eum!” Iānitor faciem Dōrippae trīstem aspiciēns “Numquam” inquit “tē trīstiōrem vīdī. Quid tibi est?”

vidēre  
vīdisse

Dōrippa: “Nūlla fēmina mē miserior vīvit, Sanniō. Melius est mē mortuam esse quam sine amīcīs in hāc urbe vīvere!”

mē (*abl*) miserior  
= miserior quam  
ego

Sanniō: “Quid ais: ‘sine amīcīs’? Nūper nōn modo Lepidus amīcus, sed etiam Lȳdia amīca tua hīc fuērunt. Ipse vīdī Lepidum flōrēs tibi afferre.”

- 20 Dōrippa flōrēs extrā līmen iacentēs iānitōrī mōnstrat et “Ecce” inquit “flōrēs Lepidī in viā. Nōlō flōrēs accipere ab illō virō

*dare  
dedisse*

improbō. Nec hunc ānulum, quem ille mihi dedit, iam gerere volō.” Dōrippa Sanniōnī magnum ānulum aureum ostendit.

“Ō, quam magnificentum dōnum!” inquit Sanniō, “Tantum ānulum aureum numquam anteā mē vīdisse arbitror. Profectō vir dīvitissimus est amīcus tuus.”

Dōrippa: “In flūmen eum iaciam!”

Sanniō: “Ain’ tū? Lepidumne in flūmen iaciēs?”


Dōrippa: “Nōn Lepidum scīlicet, sed ānulum eius iaciam in Tiberim!”

30

Sanniō: “Nōlī stultē agere, Dōrippa, moneō tē! Tantus ānulus aureus magnī pretiī est. Quīn vēndis eum? Certē Albīnus, qui tabernam habet prope forum Rōmānum, magnum pretium dabit tibi.”

At Dōrippa “Dōnum vēndere” inquit “nōn decet. Nec pecūnia mē miseram cōnsolārī potest. Ego nōn modo hunc ānulum, sed etiam mē ipsam in Tiberim iacere volō! Valē, Sanniō!”

“Manē, Dōrippa! Sāna nōn es” inquit iānitor, nec vērō puellam miseram retinēre potest. Dōrippa rēctā viā ad Tiberim flūmen it ac statim pontem Fabricium intrat. In mediō ponte cōnsistit 40 atque aquam spectat sub ponte fluentem. In speculō aquae videt imāginem suam. Puella tremēns atque horrēns oculōs claudit, deinde sē vertit ac pontem relinquit.



Quō it Dōrippa? Ad forum versus it. In viā quae ad forum dūcit Albīnum clāmāre audit: “Ōrnāmenta! Emite ōrnāmenta!”

Dōrippa ad tabernam accēdit.

“Salvē, Dōrippa!” inquit Albīnus, “Vīsne ōrnāmentum?”

Dōrippa: “Nōlō ōrnāmentum emere, sed hunc ānulum aureum vēndere volō. Quantum pretium mihi dabis?”

Albīnus, postquam ānulum in manūs sūmpsit, “Nōn magnī pretiī” inquit “est iste ānulus.”

50

Dōrippa: "Quantum dabis?"

Albīnus: "Octō sēstertiōs."

Dōrippa: "Mē dēridēs! Putāsne mē tantum

atque tam pulchrum ānulum aureum octō  
sēstertiis vēndere. Nōn sum ego tam stulta!"

"Iste ānulus nōn est aureus" inquit Albīnus,

"Audi!" et ānulum in mēnsam iacit.

Ānulus tinnit: "Tintintin..."

Dōrippa: "Ānulum tinnire audiō. Quid igitur?"

60

Albīnus: "Nōn ut aurum, sed ut ferrum tinnit iste ānulus: est  
ānulus ferreus aurō opertus. Nunc vērō audi ānulum aureum!"

*operīre  
operuisse  
opertum esse*

Albīnus ānulum aureum prōmit eumque iacit in mēnsam.

Dōrippa: "Certē nōn eōdem modō tinniunt ānuli."

Albīnus: "Neque eiusdem pretiī sunt. Hic ānulus ex aurō pūrō  
factus est, ānulus tuus ex ferrō, quod tenuī aurō operītur. Bene  
factus est ānulus tuus, nec tamen mē fallere potes."

Dōrippa: "Nōlō ego tē fallere, Albīne. Iam vērō intellegō Lepi-  
dum, quī ānulum ferreum mihi dedit, falsum amīcum esse.  
Quantī est ānulus aureus?"

*quantī est? =  
quantī pretiī  
est?*

70

Albīnus Dōrippae ānulum aureum gemmātum ostendit et "Hic  
ānulus" inquit "centum sēstertiis cōnstat. Tālem ānulum habet  
amīca tua Lȳdia."

*posse  
potuisse*

Dōrippa: "Quōmodo Lȳdia tantō pretiō ānulum emere potuit?"  
Albīnus: "Ipsa tantam pecūniā nōn habet, sed nūper ad taber-  
nam meam vēnit cum amīcō pecūniōsō, quī nummīs numerātīs  
ānulum aureum gemmātum ēmit et Lȳdiae dedit."

Dōrippa: "Facile erat amīcum Lȳdiae fallere. Cūr nōn ānulum  
ferreum ei vēndidistī?"

*vēndere  
vēndidisse*

Albīnus: "Ego ānulōs ferreōs neque emō neque vēndō."

80

Dōrippa ānulum suum capit et iterum ad Tiberim flūmen abit.

